



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Quàm malè querantur, qui de immatura alioru[m] morte queruntur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. XLVI. *Immatura aliquos innocentes, sed iusta morte obire.* 515

& ipsi Dauidi filius natus vitam amittens, orbitatem intulit, vt frequenti capite dicemus, & supra iam attigimus.

Noli ergo offendi iudicijs diuinis, quisquis vides, vel iuuenem mori, vel innocentem. *Placita enim erat DEO anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in precordijs talia, iudicant, quod ignorant. Imperita enim & simplex multitudo, solum in defuncto iuvene intuetur ætatem, non autem moriendi rationem. Hinc contra DEVM quiritatur, hinc plorat, hinc capillos lacerat. Et quidem tum maximè, cum talis iuuenis maximè fuit pius; ait enim, hinc apparere, quàm inutile sit studium pietatis. Neque vulgus tantum eiusmodi pulsatur tentatione, ipsum David, Ieremiam, Habacuc, & Iob talis cogitatio pulsauit. Omnem scrupulum tollit, qui diuinam prouidentiam credit. Tam sapiens illius est amor, vt ab insipientibus crudelitas putetur. Nescit DEVM, qui iustum nescit. Hæc est fides recta, credere, quoniam gratia DEI, & misericordia est in Sanctos eius, & respectus super electos eius. Non ergo crudelitas est martyrijs exponere, aut morti tradere innocentes, sed gratia DEI & misericordia. Videri potest S. Ambrosius de bono mortis, Victor Vitensis, & Saluianus, qui in hoc genere disputationis & pij extiterunt, & disertis.*

At cur innocentes tolluntur, cum impurissimi viuant; & illi triumphant, qui nec digni sunt, vt à terra sustineantur? Si irascitur DEVS, statim debuit vindicare; & pro merito quemq; punire, ait nonnemo apud Lactantium 1. de ira DEI c. 20. cui ipse respondet. *At enim, si ita faceres (vt statim puniret DEVS) nemo superesses. Nullus est enim, qui nihil peccet; & multa sunt, qua ad peccandum irritent; atq; violentia, egestas, occasio, primum. Adcò subjecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus; vt, nisi huic necessitati DEVS parceret, nimium fortasse pauci uiuerent. Propter hanc causam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoq; eius esse perfectam; qua & ipsa virtus est. Quam multi ex peccatoribus iusti posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes? Quam multi in primis aetate turpes, & omnium iudicio damnati, postmodum tamen laudabi-*

T t t 2 l 5

VIII.
Sapi. 4. 14.

Psal. 72. 2.
Ierem. 12.
Habac. 1. 13.
Iob. 21. 76

Sap. 4. 15.

IX.